



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quod denique persequi Christianos aggressus sit. Cap. XLIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EIus generis Licinii fuere decreta. Quid oportet no-
ua illius de nuptiis contrahendis instituta, aut no-
uas de his qui è vita cesserant, sanctiones enumera-
re? quibus veteres Romanorum leges, præclarè & sapien-
ter promulgatas, barbaris quibusdam & crudelibus in eo-
rum locum introductis, abrogare ausus est? Quid infinita
propè oppressionis genera cõtra subiectos suos ab ipso
excogitata persequar? Quid terræ dimensiones ab ipso
propter insatiabilem exactionum ingentium cupiditatē
inventas percenseam? quibus effecit, vt exigua terræ par-
ticula, quæ minimo locata erat, cum metiendo exploratū
esset quanti valeret, pro maiore pretio deinceps locaretur,
Quid etiam hominum agricolarum quibus non am-
plius huius lucis vsura suppetebat, sed iam pridem erant
morte extincti, census oratione complectar, quos vt tur-
pem quæstum inde faceret, instituit: Nam eius avaritia
nullum habuit modum, neq; inexplebilis animi auiditas
omnino satiari potuit. Quapropter cum omnes thesau-
ros auri, argenti, opumq; immensarum copia impleuisset,
affectione tamen Tantalica animo conflictatus, cum ge-
mitu de paupertate conquestus est. Quid porrò exilia
citem, quibus eos, qui nihil cuique intulissent iniuriæ,
multauit? Quid bonorum publicationes? quid falsas cri-
minationes, quas contra patricos & illustres viros con-
finxit, in memoriam reuocem? quorum teneras vxores,
quò eas turpis flagitii ignominia deformaret, sceleratis
& perditis seruis abutèdas tradidit? Quid dicam de mu-
lieribus, in matrimonium datis? quid de puellis virgini-
tatis flore decoris, quas iste cum iam corporis vires se-
nectute languescerent, turpiter violauit? Quid istis rebus
attinet, longum sermonem instituere, præsertim cum sce-
lerum postremò ab eo editorum magnitudo, prima vel
exigua esse, vel nulla potius arguat.

Quod denique persequi Christianos aggressus sit.

CAP. XLIX.

AD extremum namq; furor eius cœpit in ecclesias in-
sultare: grassariq; in Episcopos, quos sibi maximè
aduersari animaduerteteret. Quinetiam quos tum pic-

EVSEBII DE VITA

tati deditos, tum imperatori magno ac religioso charos existimaret, eos inimicorum loco habere. Quocirca à sanitate & mente penitus deturbatus, animi impetum in nos incitavit: neq; memoriam eorum, vel qui ante illum essent Christianos persecuti, vel quorū ipse interfector & vindex, propter scelera, quæ obierant, constitutus esset, vel deniq; quorum spectator extitisset, animo complexus est, idque cum præcipuum malorū authorem, quisquis ille tandem fuerit, plaga cœlitus inflicta percussus, oculis planè cerneret.

Quod Maximianus fistula & vermibus perdomitus, in fauorem Christianorum scribere cepit.

CAP. L.

Ille enim simulatq; ecclesias expugnare cœpit, priusquam animum suum iustorum & piorum hominū cruore inquinavit, vltio diuinitus illata in eum inuasit: & ex ipsa carne exorsa peruasit ad animū. Ex improviso enim in illis corporis partibus, quas natura contexit, nascitur apostema: deinde in interioribus corporis recessibus, vlcus purulentū & fistulosum: atq; horū intolerabilis morsus intima depascebatur viscera quæ quidē infinita vermium multitudine redundarunt: vnde fœtor lethalis & pestifer estatur: quandoquidem vniuersa corporis moles, ex nimia eius, antequam incidit in morbū, halluatione, & ingluvie in immensam pinguedinē erat cōmutata: quæ tunc putredine contabefacta, intolerabile & plenū horroris spectaculū (vt fertur) propius accedentibus exhibuit. Atq; demū tot ac tantis malis colluctans, consciētia scelerum, quæ contra ecclesiam admisisset, percussus, deinceps deo suam culpam confiteri, à persecutione contra Christianos inchoata desistere, legibusque & edictis imperatoriis ecclesias illorū exædificare maturat: consuetas preces, quæ pro ipso antè fieri solent, eos iam etiā obire mandat. Atq; iste quidem ob persecutionis flammam, quam contra Christianos accendisset, tales pœnas persoluit. Verum ille, cuius mentionē superior nostra fecit oratio, spectator istarū rerum factus earundemq; cognitionem